



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

IV. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

rabolas putat contineri. Rationem ducat attentus Lector, & arbitrium faciat. Credi satius est, quod dixi, magnum Parabolarum numerum temporis injuria periisse. Ex hoc præterea Libro in alios posterioris ævi Codices sacros sententias aliquot & Parabolas videmus fuisse traductas. Velut illa, quæ habetur Proverbiorum decimo septimo capite: *In facie prudentis luget sapientia: oculi stultorum in sinibus terre*, in Ecclesiasticis Prov. 17. 24. Eccl. 2. 14. & 8. 1. *Qui fodit foveam, incidet in eam*. Hæc quæ jacet in primo Proverbiorum capite: *Pedes eorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem*, tota apud Isaiam reperitur. In Ecclesiasticum vero tot indidem *γρῶμας* depromsit Sirachides, ut singula adnotare, hominis sit temporis suo non satis parcentis. Talis ea est & decimo Proverbiorum capite: *Qui annuit oculo, dabit dolorem: & stultus labiis verberabitur*: & ista è capite duodecimo: *Melior est pauper & sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane*: & paulo post: *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus*: necnon & illa è decimo septimo capite: *Servus sapiens dominabitur filiis stultis*: & illa è capite decimo octavo: *Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat & confusione dignum*: & hæc è capite vicesimo primo: *Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda*: & hæc quoque è vicesimo secundo capite: *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multe*: nec multo post: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi*: & ista quoque è sequenti capite: *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur*: & hæc denique è vicesimo septimo capite: *Oculi omnium insatiabiles*. Reliquas prætermitto.

Transeamus ad Ethnicos Scriptores, in quibus nec pauciora, nec obscuriora deprehenduntur ex libro Proverbiorum arcessita testimonia. Hinc expressit illud Theognis, quod extat decimo tertio capite: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit*: & hoc Sophocles è capite decimo nono: *Divitiæ addunt amicos plurimos*; & istud etiam è capite vicesimo quarto: *Time Dominum, fili mi, & regem*. Euripideum illud de Pace: *γόου δ' ἐσθλῆ, ἡρόων δ' ἐναντία*, ubi videtur postulare sensus, ut legatur, *ἡρόων δ' ἐναντία δὲ πύδῃ*: *Luctibus inimica est; hilaritate autem gaudet*: illud, inquam, simile hujus est è Proverbiorum duodecimo capite: *Qui pacis ineunt consilium, sequitur eos gaudium*. Meretricem foveam esse profundam dixerat Salomon: hinc Anaxilaus de Phryne: *ἢ δὲ φρυγῶν τῶν χάρουδων οὐκ ἐπίσκοπος πρὸς ποταμῷ*. Phryne autem Charybdin non procul præstat. Eusebii in septimum Platonis librum De legibus assumptum esse demonstrat istud: *Mentoria justis cum laudibus, & nomen impiorum putrescet*; quod legitur capite decimo libri Proverbiorum: in tertium vero De republica illud: *Mendacitatem & divitias ne dederis mihi*; quod habetur tricesimo capite, quodque Alexis Comicus & Horatius in carmina sua transtulerunt. Quod qui aliena rapiunt, semper in egestate futuros pronuntiasset Salomon in Proverbis, hinc Menander raptores sæpe cum dedecore repulsam & propriis multatam iri ait. Quod invidiam putredinem ossium appellasset, hinc *φθόνον οὐκ ἰκὸν καὶ φθιστικόν*, invidiam quæ putredinem & labem inducit, dixit Menander. Timeri idem jubet servi imperium, quod & capite Proverbiorum tricesimo jussit Salomon. Quod de antiquitate sapientiæ capite octavo prædicat, id apud Eusebium repetit Aristobulus, qui Ptolemæi Philometoris temporibus floruit. Istud ejusdem essatum: *Qui accipit mutuum, servus est fuerantis*, à Græcis & Latinis usurpatum est. Usurpatum & istud: *Mulierem fortem quis inveniet?* & id quoque: *Quæstivit lanam & linum*, in vetusto mulieris fortis Epitaphio laudi datum videmus. Sed neque hic omittendum, quod legitur in libro Juchafin, Aristotelem librorum Salomonis, opera Alexandri, compotem factum, multa ex iis decerpisse, suosque exornasse.

IV. Facit ad dignitatem & existimationem Libri hujus, quod fere nullis impiorum hominum argumentis est oppugnatus. Unis, quod equidem sciam, Rabbini, qui credita sibi esse jactant eloquia Dei, in dubium vocatus est, ac fere è sacrorum Librorum sensu expunctus: & fecissent, si non aliqua in eo essent nacti, quæ ad Legis commendationem opportuna esse judicarent. Id in Thalmude, tractatu Sabbathi, secundo capite, diserte scriptum extat. Verum quod inde conflare potest argumentum, indidem dissolvitur: nam quod id facere cogitarunt, nec fecerunt tamen, indicio est nefariam ipsorum voluntatem vi veritatis fuisse oppressam, & utrimque pensitatis rationibus Libri tandem *γρηγορότητα* & sanctitatem agnovisse.

V. Temperare mihi non possum, quin hic Disputatoris Theologo-Politici veterum excutiam, qui Proverbia hæc collecta fuisse putat tempore secundi Templi, vel certe Josiæ regis; hoc argumento, quod capite vicesimo quarto dicatur: *Hæc etiam sunt Salomonis Proverbia, quæ transtulerunt viri Ezechia, regis Juda*. Quia quædam Salomonis Proverbia ab Ezechia regis viris sunt collecta, hinc concludit acutus ille Philosophus collecta ea esse secundi Templi, vel Josiæ certe regis ævo. Cui pro responsione bonam mentem precamur.

Prov. 17. 24.
Eccl. 2. 14. &
8. 1.
Prov. 26. 27.
Eccl. 10. 8.
Prov. 1. 16.
Isa. 59. 7.
Prov. 10. 10.
Eccl. 27. 25.
Prov. 11. 9.
Eccl. 10. 10.
Prov. 12. 11.
Eccl. 20. 10.
Prov. 17. 2.
Eccl. 10. 28.
Prov. 18. 13.
Eccl. 11. 8.
Prov. 21. 19.
Eccl. 25. 22.
Prov. 22. 1.
Eccl. 7. 2.
Prov. 22. 9.
Eccl. 31. 28.
Prov. 23. 13.
Eccl. 30. 1.
Prov. 27. 20.
Eccl. 14. 10.
Prov. 27. 10.
Prov. 30. 21. 22.
Prov. 13. 20.
Prov. 19. 4.
Prov. 24. 21.
Prov. 12. 20.
Prov. 23. 27.
Euseb. Præp.
lib. 12.
Prov. 10. 7.
Prov. 30. 8.
Horat. Carm.
lib. 2. Od. 16.
Prov. 22. 24.
Prov. 14. 30.
Prov. 30. 22.
Euseb. Præp.
lib. 11.
Prov. 22. 7.
Prov. 31. 10. 13.
Musæ Lapid.
lib. 1. Mem. 27.

Refelluntur
argumenta
Adversaria
rum.
Primum ar-
gumentum.

Secundum
argumentum.